



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Nomenclator Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Qvi  
Ab Anno Christi Millesimo quippiam commentati sunt, Sev  
Ab Eo Tempore quo Pontificis electione ad eos tantum ob  
Romani cleri multitudinem ...**

**La Rocheposay, Henri-Louis Chasteigner de  
Tolosae, 1614**

Ab Evgenio IIII. Creati.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10735**

imperuius, & impensius Pietati instandum ratus linteis,  
lineis que indusiis omninò abstinerit, scripsit

De potestate Concilii Basiliensis, cui Pontificis  
Legatus præfedit.

Orationē ad Bohemorum Legatos inibi habitam.  
Epistolas, quarum aliquæ editæ sunt.

De processione Spiritus Sancti contra Græcos.

Eiusque disceptationes in Conciliis Ferrariensi &  
Florentino cum Marco Episcopo Ephesino ha-  
bitæ, eorundem Conciliorum actis inditæ  
sunt. Húngariæ Legatus, cum se quibusvis ob-  
iectaret casibus duro Varnensi prælio Turcarū  
occubuit gladio; anno Christi 1444. ætatis suæ  
46.

IOANNES CASANOVA Arrago ord. Prædicato-  
rū Theologus. ex Episcopo Eluensi Cardinalis, scripsit

De potestate Papæ supra Concilium, aduersus  
Conuentum Basiliensem

Et quædam in Theologia, vt author est Garimber-  
tus. Obiit Florentiæ an. 1436. Ibidem in Ec-  
clesia Prædicatorum sepultus.

*AB EVGENIO III. CREATI.*

IOANNES ex Comitibus Talliacotij Neapolitanus,  
Cardinalis & maior Pœnitentiarius, Orationes duas ha-  
buit in Concilio Basiliensi; vt refert Ioannes Iuuenis  
lib. 8. de varia Tarentinorum Fortuna, multisque lega-  
tionibus integerrimè functus est. Romæ iacet in æde S.  
Augustini cum hoc Epitaphio.

*Felices animas inter micat iste Ioannes,  
Qui Tagliacotia gloria gentis erat.*

*Qui Tarentinus Pastor, qui Cardeus heros.*

*Prænestinus item, flentibus astra dabat.* Obiit 1449.  
21. Ianuarij.

IOANNES KEMP Cardinalis Anglus Archiepiscopus Cantuariensis, quædam scripsit, vt refert author Catalogi scriptorum Angliæ. Obiit anno 1456. Cantuariæ sepultus.

ISIDORVS THESSALONICENSIS ord. S. Basilij Monachus ex Archiepiscopo Rhutenorum Cardinalis, apud Constantinum Imperatorem id temporis legatione fungebatur, cum Turcarum Dynastes Constantinopolim armis obtinuit: vbi ad casum deductus extremum vix hostium declinasset sæuitiam, ni vili actutum redemptionis (nondum agnitus) pretium depactus esset & subinde dinumerasset. Mox paucis intercurrentibus diebus ementito habitu & in dissimulationem sui illico compositus, Romam tandem vltima perpeffus deuenit, eiusque grauibus ærumnis non mediocriter Romana curia indoluit. scripsit

De capta Constantinopoli, & Negroponte.

Eiusque disputationes aliquot, Concilii Florentini actis intersparæ sunt.

Obiit Romæ an. 1464. Sepultusque est in Basilica S. Petri Vaticana.

BESSARIO TRAPEZVNTIVS ord. S. Basilij Monachus ex Archiepiscopo Nicæno Cardinalis lectissimus, & Pampilonensis Ecclesie administrator perpetuus, quem sibi sufficere Eugenius 4. Nicolaus 5. & Pius 2. si fas esset, exoptassent. Habebat, (vt in eius elogio author est Iouius) ad radices montis Quirinalis, deducebaturque manè in Vaticanum.

maximè decoro comitatu, in quo sæpè Trapezuntius, Argyropilus, Philelphus, Blodus, Leonardus Aretinus, Poggius, Valla, Campanus, & Platina conspecti sunt, præter Theodorum Gazam, Plethonem siue Gemistû, Andronicum Thessalonicensem, Domitium Calderinum, Nicolaum Perotum, & Valerium Viterbientem, quos in famulatu habuit. scripsit

Confutationem aduersus Marcum Episcopum Ephesinum, de Spiritu sancto malè sentientem.

In illud Ioannis sic eum volo manere.

In Philosophiæ Platonis laudem libros 5.

Ad Græcorum Imperatorem de vxoris obitu consolationis libros tres.

In calumniatorem Platonis libros 4.

De Eucharistia seu Cœna Dominica vnâ cum eiusdem Apologia.

An Natura & Ars consultò agant.

Laudationes Patriæ suæ Trapezûtis, & Isthmi lib. 2.

De eo quod per se substitit ad Platonem siue Gemistum, cuius discipulus fuerat.

De processione Spiritus Sancti aduersus Alexium Lascarem.

Correctionem librorum Platonis de Legibus, Georgio Trapezuntio interprete.

Eruditam Trinitatis explicationem.

Orationes de bello contra Turcas suscipiendo.

De vnitate Sermonem.

Epistolasque plures.

Aristotelis Metaphysicorum. lib. 14.

Theophrasti Metaphysices lib.

Xenophontis de factis & dictis Socratis lib 4.

} latinis auri-  
bus dedit.

Obiit Rauennæ Anno 1472. Sepultusque est Romæ apud Sanctos Apostolos, Platinâ in eius funere orante, vbi hoc habet Epitaphium.

*Bessario Episcopus Tusculanus S. R. E. Cardinalis Patriarcha Constantinopolitanus, nobili Græciâ ortus, oriundusque sibi vniuersis posuit. anno salutis 1466.*

Τὸ ἔτι Βησσαρίων ζῶν ἄνυσσά σῶμα σῆμα  
Πνεῦμα δὲ φεῦξέ ται πρὸς θεὸν ἀθάνατον.

GERARDVS LANDRIANVS Mediolanensis, ex Episcopo Comensi Cardinalis, ad quem aliquot extant Leonardi Bruni, Philelphi, & Laurentii Vallæ Epistolæ; Concilii Basiliensis in Anglia Legatus, orationem ad Regem, & Regni proceres habuit, quæ eiusdem Concilii actis inserta est. Viterbii cum morbo grauatus substitisset, diem ibidem clausit extremum, vixque rumor obitus perleuis incesserat, cum Philippus Insubrû Dux, vulgari coniectatione in crimen venit, cuius operâ Cardinali, eiusdemque 18. familiaribus propinatum venenum ferunt, qui parili ratione miserando hero miserè commortui sunt. In Ecclesia Minorum iacet cum hoc Epitaphio.

*Gerardus Landrianus Mediolanensis S. R. E. Cardinalis amplissimus aliquot sub Eugenio 4. Legationibus functus Viterbij 8. Idus Octobris 1445. è vita discedens hic summa cum pietate conditur.*

IOANNES DE TURRECREMATA Hispanus, ord. Prædicatorum Cardinalis, non minus vtriusque Iuris, quàm Theologiæ cognitione conspicuus, scripsit

In Gratiani Decretum volumina 4.

De Pœnitentia.

De Concilio Florentino.

De consecratione.

De Conciliis.

De Conceptione Domini lib. lib. 3.

De corpore Christi contra Bohemorum errores.

De aqua lustrali.

Meditationes in vitam Christi.

Contra Ismaelitas.

De animæ salute.

De unitate Græcorum.

Summam Ecclesiæ lib. 6.

De authoritate Romanæ Ecclesiæ.

In Regulam S. Benedicti.

Quæstiones in totius anni Euangelia.

Sermones de Tempore & de Sanctis.

Et alia quædam. Romæ iacet, in æde S. Marię  
super Mineruam cum hoc Epitaphio:

*Hic quiescit Dominus Ioannes de Turrecremata, natione Hispanus, Episcopus Sabinus S. R. E. Cardinalis S. Sixti, qui obiit 26. Septembris. Anno Domini 1464. Requiescat in pace.*

IOANNES CARVAIAL Ciuis & Episcopus Placentinus, Hispanus Cardinalis, 22. legationibus clarus, omnium grauissimam Calixti 3. apud Dalmatas Legatus innumeris exantlatis laboribus, strenuè gessit: in præliari enim acie contra Turcas identidem versatus audaciâ præsentis & animo aduersùm suprema firmato, manu decertauit, per medios hostes permeauit, & illatenus sæpenumero progressus est, vt à suis etiam destitutus, in vltimum prope discrimen adductus sit Septuagenarius Romæ discessit anno 1469. ad hoc æui perpetim cilicio & cibo fortuito vsus vt cæli desiderio quibusuis

vel grauissimis ærumnis facile suesceret, scripsit, vt erat  
Apostolicæ sedis studiosissimus,

In Apostolicæ Sedis defensionem.

Legationum suarum Relationem Compendiariâ.

Epistolasque à Doctis multùm laudatas, vt refert  
Cardinalis Papiensis, quibus tamen fastuosam  
quorundam censuram declinare haud licitum,  
submurmurantibus inuidis. Obiit Romæ  
anno 1469. Iacetque in æde S. Marcelli cum  
hoc Epitaphio.

*Ioanni Caruaiali genere Ibero, Pontifici Portuensi, S. R. E.  
Cardinali Patrum splendori, virtutum decori, de Religione atque  
omni Republica bene merito: qui vixit annos 70. Bessario Cardi-  
nalis Nicænus Collegæ Pientissimo.*

*Pontificum splendor iacet hic, sacrique Senatus.*

*Namque animo Petrus, pectore, Cesar erat.*

*Hunc genuit Bætis, raptuit sed Roma, tenetque.*

*Corpora velat humus, Spiritus astra colit.*

---

*A FELICE V. ANTIPAPA CREATI*

*Anno 1440.*

IOANNES DE VILLAVEZZOSSA Segobiensis  
Hispanus, ex Archidiacono Ouetensi Cardinalis, Alco-  
ranum in quo falsæ & euanidæ religionis typum Maho-  
metes procudit, latinè loquentem fecit, eiusque men-  
dacia veris rationibus & argumentis explosit.

Concordantias partium Orationis indeclinabi-  
lium in Bibliis collegit.

Duoque volumina de Actis Concilii Basiliensis  
edidit.